

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Christian Ohm Fridericus Thor-Haken a

**Miscellae Iuridico-Politicae Positiones Ut Illustres Ita Et Difficiles,**

Rostochi[i]: Pedanus, 1620

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730873714>

Druck Freier  Zugang



Nr.  
Ohm - Thorhaken

1620.

10



26 36

Miscellæ Juridico-Politicæ 9  
**POSITIONES**  
UT ILLUSTRES  
ITA ET DIFFICILES,

QUAS

FAVENTE, AC FOVENTE, UNO ET TRIUNO DEO,  
Consensu & auctoritate Magnifici, amplissimi & spectatissimi Senatus Juridici, in celeberrimâ Megapolensem Academiam,

SUB TUTAMINE

CLARISSIMI ET CONSULTISSIMI VIRI

DN. CHRISTIANI Ohm  
J. II. Doctoris, fautoris superpetuo ob servantæ cultu suspiciendi,

Publicæ disquisitioni trutinandas exhibet

FRIDERICUS à Thor-Haken/  
Semgallia - Livo.

Disputabitur s. id. Octob. hora 6. matut. in  
Acrosi Majori.

ROSTOCKI, Typis Joachimi Pedani, An. 1620.

MICHAELIS JUNIORIS-POLYGRAPHIE  
EX LIBRIS RIBA  
LIBERATIONE

Ex Libr. Michaelis Junioris Polygraphie



Ex Libr. Michaelis Junioris Polygraphie



## Positio I.

**M**peratoris nostri sacratiss. Justini-  
niani leges, non opinione solum & auctori-  
tate hominum, sed certa constare ratione, ne-  
mo, nisi violentus legum interpres, ambiget.

Quia lex est Commune praeceptum, virorum prudentum consultum &c.  
l. i. ff. d. legib. Inventum ac munus Dei. l. 2. l. 40. Divinarum ac humanarum  
verum Regina, ut inquit Chrysippus: d. l. 2. ff. d. ll. Est princeps cui obedire de-  
bet: est Dux quem sequi congruit: est regula quam faciendis quibuscumque  
applicare decet. Arist. 3. Polit. & Soloni Anchora dicitur reipub. firmissima, nec  
non recta imperandi & prohibendi ratio. Cic. lib. 1. d. ll. Rationabilis igitur  
certaque & probabili de causa, neque non magna deliberatione lata ut sit necesse est.  
l. 35. in pr. C. d. in usf. test. c. eccl. 57. in fin. ibi. neg. enim. Extr. d. electione  
& electi pot. c. consuetudo s. Distinct. 1. c. erit 2. Dist. 4. VVesenb. in parat. ff.  
d. ll. num. 5. lit. d. quia lex non est quae ratione caret. l. 39. l. 14. ff. d. ll.  
hinc ratio quae lega est anima potior dicitur, quam ejus verba. l. scirp. 17. l. 29.  
ff. eod. l. cum ratio. 7. ff. d. bon. damnat. Everhard. à Middelburg. in loc. à ra-  
tione leg. Stephan. d. Phederic. tract. d. interpr. ll. p. 16. & 37.

Quamvis autem non omnium ratio reddi poscit. l. non omnium. 20. ff. d. ll  
quod iidem & Plato vobis videtur. Attamen non inferendum, quod omnium ratio non  
sit, sed quod legib. ratio semper subsit, easq; tacite Comiteretur, que ob methodicas  
Iuris Compilationem ac redundantiae amputationem undique non addi poterat, ic-  
cino. Citra periculum ignorari nec ob id subtili mentis indagine admodum Curiose  
inquiri & expiscari decet. l. & ideo. 21. ff. eod. Distinguit quoque Ant. Fab. inter  
Ius Constitutum & receptum, sic ut huic ratio semper insit, illi v. desit. Helfr.  
Hun. d. authoris, Iur. Civ. lib. post. c. 1. q. 1. VVesenb. in Par. ff. d. ll. num. 5.  
Cujac. 8. Obser. 12.

A 2

Prin-

Principem legibus esse solutum distinguendo affer-  
rimus.

1. princeps 31. ff. d. legib. Reg. i. c. 8. v. ii. & seqq; Psal. 51. v. 6. quam-  
quam intricior quæstio vix illa in jure nostro dari possit, atq; hæc ipsa, inquie-  
Helfr. Hunn. d. autor. jur. civ. c. i. q. 6. Ob varias Dd. opiniones, Nos tamen  
in hanc arenam descendentes; Primo distinde per vocem Principis hic Mundi  
Imperatorem; Monarcham seu Dominum intelligimus, qui superiorem non re-  
cognoscit l. 9. ff. ad l. Rhod. d. iact. Cui soli leges figendi & refigendi compé-  
tit. l. i. & 12. in pr. & §. i. C. d. ll. Qui lex dicitur animata, Cui omnes leges  
Deus subiecit. N. 105. c. 2. in f. Cujus placitum legis habet vigorem. §. sed &  
quod. Inst. d. l. nat. Gent. & C. l. i. ff. de constit. princ. Non Ducib. aut Co-  
mittib. &c. attestante Gotthofr. ad d. l. 12. C. d. ll.

2. Leges quoq; bifariò hic Consideramus Cum Anth. Nes. IC. acerr. ad d.  
l. 31. ff. d. ll. Vel ut sunt objectum & Regula justiciæ. Vel ut sunt  
instrumenta ad gubernandam temp. Priori Casu Princeps in Lege  
Divinâ superiorem agnoscit Deum. In Lege naturæ ipsam naturam aquo &  
bono Correspondentem, arg. §. ii. Inst. d. l. N. G. & C. In Lege verò Civilis re-  
ctam rationem. Posteriori verò modo, Omnes leges divinae, naturæ &  
Civiles Imperatori subiaceant. Secund. d. N. 105. c. 2. in f. Evidenter ut igitur  
innoscatur in legib. divinis discernimus inter Obligationes quibus  
nullo modo est exceptus ob. text. expressos e. i. & 2. Dist. 10. Ezech. 46. vers. 18.  
§. pen. Inst. d. jur. nat. gent. & C. §. fin. Inst. d. legit. agn. int. Et Coerci-  
tiones Politicas, in his principem legib. & quæ divinis ac naturalibus solutum  
esse non ambigimus. l. 3. §. fin. l. 4. ff. d. recept. arb. l. 13. §. 4. ff. ad SC. trebell.  
l. 58. ff. d. iudic. & ubi quis Quare Iustinianus exclamat. N. 23. c. 2: Quis tante  
est autoritate, ut nolentem principem possit Coarctare, sicut & David præter  
Deum nullum agnoscit Iudicem. Psal. 51. Inter Leges vero regni fundamen-  
tales & mere Civiles seu politicas distinguimus: Illis, nisi suam ipsius destru-  
ctionem (Exemplo VVenceslai Imperatoris degradati, teste Myns. Decad. 2. Resp.  
19. n. 6. & Volaterr. lib. 23.) desiderere, omniumq; hominum Commercio exui-  
mavellit, solutum esse inserviatur. arg. i. Reg. i. v. 30. Iosu. 9. v. 15. l. 60. §. fin.  
ff. d. Condit. & demon. l. 2. §. i. ff. d. alim. legat. l. 6. ff. d. jur. fisc. His v.  
ratione potestatis omnino liber proclamandus. d. l. 31. ff. d. ll. Majestatis ta-  
men proprium est eas servare leges, quibus ipse solitus videtur. l. 23. ff. d. le-  
gat. 3.

gar. 3. ut aurea Verb. Imp. Theodos. Valent. Trajan. & Iustin. denotant in l.<sup>o</sup>.  
digna vox: 4. C. d. ll. l. 3. C. d. testam. §. fin. Inst. quib. mod. test. infirm. Es-  
sic bene erit si princeps sit in lege, subditus vero sub lege. ut refert Hunn. d. auco-  
jur. Civ. c. 1. q. 6. Nisi leges suas aranearum telas esse velint, juxta dict. A-  
nacharsis. cuius meminit Valer. Max: lib. 7. tit. d. sapienter dict. & fact.  
num. 29.

### III.

Princeps jūs subditis quæsitum ex potestatis plenitu-  
dine adimere nequit.

Prohibetur j. Juredivino: quo à Dō est constitutus ut faciat ju-  
sticiam. sapient. 6. Psalm 82. Ezech: 46. v. 18. 3. Reg. 21. vers. 19. 2. Reg. 12.  
vers. 9. & 10.

2. Jure naturali: quo nemini iniqua Condītio inferenda, nec princeps  
subditorum dāmno locupletari debet. l. 206. d. R. I. & c. locupletari 48. d. R. I. in 6.  
l. 11. & 74. ff. eod. l. 14. ff. d. Condīt. indeb.

3. Jure Can. c. omnes. 2. & c. 3. 4. & seqq. Caus. 2. q. 2.

4. Et tandem Jure Civili. l. rescripta. 7. l. 2. & 3. ff. d. precib. impe-  
rat. off. l. 4. ff. d. natal. restit. Cum princeps à justicia poli. & fori omnes suos:  
actus vult regulari: ut Bald. in l. 1. ff. d. constit. princ. n. 1. & Gail. 2. Obs. 50.  
n. 9. nihil, nisi æquum & bonum in illo præsumatur l. filius 15. ff. d. condīcio. in-  
sist. ne inde injuriarum occasio nascatur, unde jura nascuntur. l. meminerint. 6.  
in pr. C. Vnde vi. c. rescripta. 15. caus. 25. q. 2. alias si privato jūs suum adimat,  
Iustus esse nequit. §. fin. Inst. d. hū qui sui vel alien. jar. §. 3. Inst. d. l. & l. 10.  
§. 2. ff. eod. Nisi publica utilitate, nec non urgente necessitate, aut evidenti  
suadente ratione, cuius favore haud raro à regalis juris Communū receditur  
l. 51. §. 2. verb. multa. ff. ad. l. aquil. c. abbate. 3. §. fin. ibi. præsentim. De sent:  
& re jud. in sext. l. un. §. 14. C. d. Caduc. toll. c. Imperialis. in pr. d. prohibit.  
feud. alien. 2. Feud. 52. l. 10. C. d. ff. eccles. l. fin. C. si contra jūs vel utilie.  
l. ult. C. d. locat. præd. Quod si fecerit, justum privati premium refundere te-  
netur l. vendor. 13. §. 1. ff. Com. præd. c. 1. Caus. 2. q. 2. Dan. Otho d. jur.  
pub. c. 8. p. 195. Zaf. d. feud. success. part. 8. n. 48.

### IV.

Rempub. ab illiteratis & juris imperitis judicibus  
saltem gubernari, ut frequens & facillimum, ita periculo-  
sum & difficillimum existimat Bronchorst. Cent. 1. ass. 64. Huic ue-

A. 3.

Calcu-

Calculum nostrum adjiciamus, usus Regionum & Civitatum Creberimus ter-  
ret, periclitandum tamen in assertione, ob legum rationes non spernendas: in  
proem. Inst. d. off. Iudicis. l. ii. C. d. Iudic. item in pr. d. Concept. Instit. ibi:  
per legitimos tramites. l. 13. in verb, non exempli. & in fin. C. d. sent. & inter-  
loc. Novell. 30. c. fin. in pr. N. 82. in prefat. ibi: non existimamus. & c. i. §. 1.  
ead. l. 2. §. post. orig. ff. d. jur. Orig. Ordinarios tamen Iudices hic excusan-  
dos statuit Coras. s. Miscell. c. 19. Non verò delegatos quorum mentio sit in l.  
properandum. 13. in fin. §. 1. C. d. judicis. Qui & Assessores dicuntur. tit. 10.  
ff. d. off. Assess. Quos juris peritiam habere oportet, ut non saltet aliunde, seu à Iudicis  
Consilium expetere iurisq; honestatem emendicare, quod reipub. maximum est  
vitium. Nov. 82. in fin. prefat. sed per se sine aliorum adminiculo rempub. ge-  
rere possint, ut Eleganter inquit Alexander Imperator. teste Lamprid. in sev.  
Duo igitur in Judice de necessitate requiri secund. Bronch. Cent. i.  
ff. 64. 1. Ut negotij peritiam habeat. 2. Ut pro legis scientia  
causam dirimat, alias contra l. judicans litem suam facit & ex ea tenetur  
si vel dolo faciat l. 15. ff. d. judicis. l. 40. §. 1. ff. eod. vel imperitia. l. fin. ff. d.  
Var. & extr. ord. cognit. l. 2. ff. quod quisq; jur. in alt. statuerit. DD. Ioach. &  
Math. Stephani. f. f. hic Cent. 4. q. 81. ille. lib. 1. d. jurisd. jud. c. 5. in pr.  
Quod si de facto imperitus constitutur, peritos ad seores habere vel consulere  
teneatur. M. Steph. d. loc. Robert. 3. sent. 3.

## V.

### Chirographi redditio debiti remissionem inducit non verò pignoris restitutio.

l. qui Chirographum. 59. ff. d. legat. 3. l. labeo. 2. ff. d. pact. l. servum. 44.  
§. 5. ff. d. legat. 1. l. hujusmodi. 48. §. 7. eod. l. creditricem 7. C. d. remiss.  
pign. l. 1. C. d. donat. Cum igitur Creditor Crediti instrumentum seu Cautio-  
nem debitori tradat, debitum petendi viam sibi ipsi precludit. Bald. in l. un. §.  
ille etiā n. 4. C. d. latin. lib. toll. quia jus ipsius Creditorū in Chirographo Con-  
sistit d. l. 59. ff. d. legat. 3. quo redditio seu amissio, jus quog; repetendi debitum  
reddidi se vel amississe putat Hunnius d. pact. c. 2. q. 14. Consultius tamen facie  
debitor, si ob easum quendam, præter redditum Chirographum etiam soluta pecu-  
nia apocham recipiat. l. 14. & 15. C. d. solutionib.

Pignoris verò diversa assignatur ratio à Gloss. antiqu. in l. post-  
quam. 3. ff. d. pact. quod pignoris usus varius sit, præsertim scholarib. Chiro-  
graphi restitutio v. nihil nisi solutionis præstite Conjecturam inducit arg. l. 12.  
C. d. pro-

C. d. probat. Cujac. n. ut & Ant. Fab. in Chirographo præcipuanus continet obligationem dicunt; quo reddito & illud quoque quod continet remissum sensatur, Aliud vero in pignore, quod accessorium præsentet obligationem fidejussionis instar, qui licet sis liberatus, obligatio nihilominus sarta & recta remanes.

## VII.

Patriæ potestati, & quæ divino ac nunc jure Civili quoque vis interimendi liberos non verò Corrigendi, aut ob iurias causas exhaeredandi, est adempta:

Deuter. 21. v. 18. Proverb. 19. v. 18. Ephes. 6. v. 4. l. unic. C. d. emend. propinq. l. un. C. d. bis qui par. vel lib. l. si filius 3. C. d. patr. potest. Nov. 115. c. 3. Nemo n. fibimet ipsi vindictam vendicare potest. l. jurisdictioni. 10. ff. d. iuridict. l. 137. ff. d. Reg. 1. Neg. potestas patria in atrocitate sed in pietate consistere debet. l. divus. 5. ff. ad l. Pomp. d. parricid. Seclusus in filia adulterium committente, quam Pater sui iurū simul cum adultero in continentis interimere potest. l. patr. 20. l. 21. & 22. item l. 23. §. quare 2. ff. ad l. jul. d. adulti. & l. 24. ff. cod. quod itidem marito in adulterium non denegatur d. l. 24. in pr. & fin. ff. cod. Hoc tamen firmiter in foro conscientia statuere valde periculosem existimatur & inter hæc. 6. & c. admonere. & in verb. occidere tamen eam nulius tenus debuisti causa 133. q. 2.

## VIII.

Parentes nullo alienationis titulo liberos suos in alterius servitutem transferre possunt:

l. liberos 1. C. d. parrib. qui lib. suos distr. Quia nullum cum iis intercedit commercium. l. sed celus. 6. ff. d. contrah. empt. l. ult. ff. quæ res pign. l. abdicatio. 6. C. d. patria potest. l. minor. 39. §. patr. 3. ff. d. evictionib. Nisi fame ac necessitate extrema compulsi. l. si quis. 2. C. d. patr. qui fil. suos distracti liberos suos vendiderint, qui in uito etiam emptore, pretio oblato, libera-ri possunt. d. l. ult. C. d. patr. qui fil. Idem etiam in filijs, qui publicæ utilita-ri causa ut obsides oppignerati, statuendum. arg. c. ex rescripto. 9. X. d. iure ju-rand. l. sed & quod 9. §. 1. ff. d. pignor. & hypothec. Cujac. 16. Obs. 29. in f. Nesci. in tract. Inst. ad tit. d. patr. potest.

Sumptus.

## III X.

Sumptus, quos pater studiorum gratia filio suppeditavit, in computationem cum reliquis non venire, rationes evincunt.

l. 50. ff. famil. ercisc. l. 4. C. eod. & l. 1. C. d. casir. pecul. l. 14. C. d. ad-  
vocat. divers. jud. nam parens, qui filium optimarum artium studijs instru-  
ctum, Magisterij decore ornatum, Doctorali gradu insigntum: expetit, media  
quibus ejusmodi finem comparare posse, concedere non designabitur. l. 1. §. 16.  
ff. d. Collat. bonorum: Quia non saltē alimenta, sed & reliqua liberū (peculia  
non habentibus) necessaria præstare tenetur. l. 5. §. 12. ff. d. agnosc. & alend.  
lib. l. 43. & 44. ff. d. V. S. l. 4. ff. ubi pupillus educ. l. 6. §. 5. ff. d. Carbon. e-  
dict. Nisi filius de octo in star, sumptui flagitiose consumpsit. Schneid. ad §.  
aliae, n. 75. Inst. d. donationibus l. 1. §. confertur. 23. ff. d. collatione. Et pa-  
ter credendi animo sumptus tales subministrasse fuerit comprobatur. l. que pa-  
ter. 50. ff. famil. ercisc. quod etiam pater si bona filij habuerit. l. 58. ff. d. here-  
ditat. per. ibid. Gorbofr. lit. d. l. Nesennius. 34. ibi. at in proposito. ff. d. negot.  
gesti. VVesemb. in Parat. ff. de Collat. dotis. n. 3. Dn. Matth. Steph. Praecept.  
honor. illustrium quæst. vol. 1. part. 4. disp. 1. th. 54. Thoming. decis. 32. n. 7.  
Hartm. Pistor. quæst. 19.

## III X.

Æs quoq; alienum, vivò patre, à studioso contra-  
Etum ex communi hereditate solvi deberet.

arg. l. & si filium. 15. ff. d. munerib. & honorib. l. macedoniani 5. C. ad Senatus-  
Cons. Maced. l. item si filium. 7. § quod dicitur in eo. 13. ff. cod. l. 1. §. 16. ff. d.  
collationib. Quia studium volente patre incepsum & continuandum, patrem  
quoq; defunctum obligatum tenet, cum adhuc defuncti voluntas durare videa-  
tur arg. l. heres sœq. 40. ff. pro socio. item l. 21. §. 2. ff. d. negot. gest. arg. l 8.  
§. 4. ff. d. pign. act. Imò parentum interesse filios habere eruditos. Inquit Sy-  
rach. 22. v. 3. Et sic in dubio ad sumptus continuardos se obligasse præsumitur si  
in eadem manerit voluntate, nec mutaverit sententiam, arg d. l. 50. ff. fam.  
ercisc. l. quotiens. 2. in pr. ff. ad. municipal. præsentim cum filii in bono suis  
ad pensum studij absolwendum, portionem non habuerit sufficientem, nec in  
eris alieni acceptione probabilem modum excecerit. d. l. 7. §. 13. ibi si probabi-  
lem. ff. ad SC. Maced. arg. l. 20. § 6. ff. famil. erciscund. quam rationem  
summa dictat æquitas ob majorem studiosorum favorem. Schneid. ad §. aliae,  
num. 7.

num. 75. Inst. d. donationib. ibid. Gotthofr. lit. e. Dn. Berin. Vult in disp. d.  
collar. bonorum. th. 27. & lib. 1. l. R. 31. n. 20. & seqq. Dn. Math. Steph. Praet.  
Venerand. in disp. 2. vol. 1. part. 3. th. 6. inf.

## X.

**Virgo ob vulnus in facie acceptum, cicatricis & de-  
formitatis nomine adversus vulnerantem, utili Aquiliæ  
actione experiri nequit.**

Quamvis formæ venustas puellæ sepe dotu loco sit, teste Afranio ap. Ar-  
nise. tract. d. jur. Connub. c. 4. n. 18. & Apul. lib. 2. Apol. inquit: Formosa  
virgo & si sit oppido pauper. abundè nihilominus est dotata, quam sent. Publius  
syr. mutam virginis commendationem dicens approbat & plures, ob id, in affir-  
mantem partem attrahit, cum perdita formâ difficilius maritum inveniat. ne  
Gometz. 3. var. sol. 6. n. 12. ex Alber. de Rosat. in l. 3. si quadrup. paup. arg.  
Oldendorp. 6. Class. 12. pr. Verum cum astimationi liberum corpus non subja-  
ceat l. 3. ff. si quadrup. paup. fec. l. fin. ff. de hu qui effud. Nec cicatricis aut de-  
formitatis sit astimatio d. l. ult. Facinorū tamen atrocitas injuria astimatio-  
nem adauget. §. atrox. 9. Inst. d. injur. l. 34. pr. ff. d. oblig. & act. l. 7. §. 1. ff.  
d. injur. & famos. libell. & sic l. aquiliæ actione ratione danni & expensarum  
s. ut Germ. hinderen und schaden, vocant. Injuriarum vero actione ratione  
ipsius injuriæ agi poterit l. 8. C. de injur. l. 15. §. 46. ff. eod. l. 5. §. 1. ff. ad l. a-  
quili. neq; alterâ electâ, alteram consumi, quia harum actionum cumulatio in  
Camer. imperiali admittitur. Cont. l. 5. §. 1. ff. ad l. aquili. teste Mynsing. 1.  
Obser. 25.

## XI.

**Spurij neq; facti neq; Juris infamia laborant.**

Quia naturâ omnes sumus æquales. l. 32. ff. d. R. I. l. 4. ff. d. l. & l. bujus m.  
respectu nibil differunt à legitimis. N. 89. c. 1. verb. natura siquidem. Impris-  
mù cum propriæ condecorentur virtute, non est ut erubescant de parentum suo-  
rum opprobrijs. Chrisost. c. nunquam. 4. Distinct. 56. nam crimen paternum  
hic nullam maculam filio infligere potest l. 26. ff. d. pœnis. sed pœna suos debent  
senere autores. l. 74. ff. d. R. I. l. 14. inf. pr. C. d. legit. hered. c. satu per-  
versum. 7. c. sponsus ille c. Dist 55. illud, infamiam ob factum proprium irro-  
gari. constat. arg. l. 5. §. 1. ff. d. extraord. Cognit. Vult. l. R. c. 26. n. 5. l. 26. ff. d.  
pœn. etm ex illito coitu nasci, non nascientis sed generantis culpa dicatur. c. na-

B

Sci. 5.

¶. i. Disp. 26. Itaq; hū neq; portie dignitatum occiduntur. l. spuri. 6. pr. ff. d. decur. iudic. cap. u. in pr. lephibah. &c. neq; infamia, quæ pena dicitur. arg. tot. tit. ff. d. hū qui norant. infam. & C. d. infam. illis sine culpa seu facto proprio inferri debet. c. satis perversum. 7. Disp. 56. & d. l. 6. in pr. ff. d. decurionib. l. 55. in f. ff. d. fideicom. libert. nisi spurius ut infantes crudeli pñna ab ēncunabulis puniri velimus, contra Iusticie ac luri fundamina. l. 33. §. legū au- tem. C. d. inoff. test. arg. l. infans. ff. ad l. corn. d. sicut.

Quod autem in Doctoris vestigium nec evebi, nec assessorū vices in Camer. Imper. iuxta. text. ord. Cam. part. 1. tit. 3. Sustinere queat. test. Myns. 4. obs. 30. id consuetudini adscribimus modoquæ nostrum civile huic assertioni nihil deroget. Bocer. d. invest. feud. c. 3. n. 14. Bronchorst. cent. post. 1. assert. 22. Dn. Thom. Lind. Praecip. hon. in Exercit. Iust. Inst. Disp. 3. ad tit. d. inoff. test. thes. 10. Dn. Praec. March. Steph. volum. 1. part. 2. disput. 9. th. 12. d. inoff. test. in fini.

## XII.

Hæc prædicta efficiunt, ut frater præteritus Institu-  
tum spuriū ab hereditate, in officiis quærelā, arcere  
nequeat.

Nam fratres sororesq; præteriti, tum demum querelari possunt; si turpe-  
heres institutus, seu Infamie levūq; notæ maculæ (propria scil.) notatus fuerit; l.  
fratres. 27. C. d. inoff. test. quo facto, nullum adeo redditur testamentum, ut  
nec legata debeantur, quæ in spuriō re & vita honesto cessare rationes supr. al.  
demonstrant. Bart. in l. fratres C. d. tit. Dn. Thom. Lindeman. Exercit. Iust.  
Inst. Disp. 3. ad tit. D. in officiis. test. Thes. 9. Hartm. Pistor. lib. 1. quæst. iur.  
c. 30. Schneid. ad §. non a. liberū. n. 17. Iust. d. inoff. testam.

## XIII.

An hereditas, quam respuit filius famili. institutus he-  
res, substituto excluso, ad patrem devolvatur, nec ne?

Quæstio cum sit admodum anceps. & varijs disputationum spinis obnoxia,  
quorūsum inclinem non video, cum utraq; pars æquè autoritate as ratione non  
destinatur. Attamen Dd. quorundam subsidio & legum præsidio Affirma-  
tum se tam sequar. l. fin. in pr. ibi: liberam habere. item §. 1. & 2. ejusd. l. C.  
d. bon. quæ lib. quis filius in præjudicium patris hereditatem respuere nequit.

b. 13.

I. 13. §. fin. ff. d. acquirend. vel amittend. hered. sed patre fiat volente, cum n<sup>o</sup>  
nam constituant personam. I. ult. in f. C. d. impub. & alijs subst. ob mutuam  
relationis causam. Dn. Matth. Steph. In Dialect. jur. lib. 1. c. 13. n. 1. & 2. prae-  
seriū cum de rebus agitur acquirendū non enim perdendū. §. 4. in fin. Inst. d.  
inutil. stipul. quod etiam d. I. fin. C. d. impub. & al. sub. per voculam: pend.  
demonstrat. Nam pater quoq; instituto filio, ex tacitā testatoris voluntate  
institutus pr<sup>es</sup>umitur, nisi testator expresse contrarium velit. Aret. Aug. Iaf. in  
I. i. ff. d. vulg. & pup. sub. Christoph. Sturk. in Disp. d. substit. th. 16. & 17.  
Dn. Thom. Lindem. Exercit. Inst. Iust. Disp. 3. ad tit. d. vulg. subst. th. 4. in f.  
An vero filio defuncto patri illud accidat, dissertatio exhibebit.

Monasterium autem repudiariū Monachi substitutum, ut parens, ex-  
cludere nequit, licet quo ad subjectionem parentis loco censeatur monasterium,  
non verò quoad acquisitionem, cuius respectu, servo servilissimus reputatur mo-  
nachus, seruo igitur nolente adire hereditatem, substitutus non dominus ad-  
mittitur. I. 3. in fin. C. d. hered. inst. Helsr. Hunn. var. resol. jur. lib. 2.  
ff. 6. q. 6.

#### XIV.

Repräsentationis jus, quoad descendentes, in infinitum locum habet, Collateralium verò repräsentatio ultra fratrum sororumq; filios filiasq; non extenditur, in ascendentibus verò illa prorsus exspirat.

§. cum filiu. 6. Inst. d. hered. quæ ab intest. defert. & §. item veteri-  
stas. 13. in f. Inst. eod. Novell. 118. c. 1. in verb. alias descendentes.  
Nec hic in gradu proximior excludit remotiorem. d. §. 6. Inst. d. hered. quæ  
ab int. quin Imperator d. N. 118. c. 1. in tali casu gradum queri prohibet, cum  
neppotes ex personā parentis, non suā, ad successionem avi vocentur. d. §. 6.  
Inst. d. hered. quæ ab int. Myns. ibid. n. 5. & quia descendantium successio sic  
magis iuri naturæ, l. 7. ff. d. bon. damnat. etiam si sint remotiores. §. 1. & seqq.  
Inst. d. grad. cognat. sanguinem nibilominus traxerunt ab ascendentib. Schneid.  
d. prim. ord. succed. n. 22. item tert. ord. n. 12. in Inst. d. her. quæ ab intest.  
Quod in collateralibus dicitur non potest, dum neuter suum ab altero trahat sangu-  
inem, hinc igitur successio illorum magis à civili iure introducta censetur, Myn-  
sing. ad d. §. 6. Inst. d. hered. quæ ab int. n. 9. in fin. & ob id ex nova Con-  
stit. ad fratri neppotes repräsentatio non descendit. Nov. 118. c. 3. ibi. si autem.

& ibi: quandoquidem igitur: & vers. hujusmodi p̄ivilegium: item. Aut̄. cessante. item. Post fratres autem C. d. legit. hered. Jure verò Saxon. ne filii fratri ad patrui admittuntur successionem bonorum allodialium. per reg. art. 3. lib. 1. & diff. saxon. 15. & Const. 18. in fin. part. 3. item per art. 17. lib. 1. ibi: wann sich ein Erb. item ja neher dem Siep. ja neher dem Erb. item. post Weichbild. tit. Brüder oder Schwestern / &c. wie die Erb. Nehmnen. quod Duces Sax. protestando cont. consti. Carol. 5. Auno 1521. in Convene. Norimb. asservarunt d. constit. 18. part. 3. Non bonorum feudalium. c. 32. in Lehnrechte. Ascendentium ordo verò, representationis jus nunquam præsupponit, ob. Nov. 118. c. 2. quia proximus illorum remortorem excludit. Aut̄. defuncto. C. ad. SC. Tertul. VVesemb. in Parat. ff. d. grad. num. 15. quod in representatione non admittitur. §. 6. Inst. d. hered. que ab intest. Neg. inter descend. & ascend. eadem correlatevorum ratio militat, siccirco diversum jus in illū figurari statuit Hunnius in resol. var. quæst. Inst. tract. 1. q. 32. cum etiam hereditas naturali ratione & communi voto parentum liberu, horum vero commiserationis ergo parentibus ob disturbatum naturæ ordinem deferatur. l. 7. ff. d. bon. damnat. b. 15. ff. d. inoff. rest. b. 7. §. 1. ff. si tab. testam. nulle. extab.

XV.  
Hisce prælibatis inquietas se offert alteratio: illa  
trum duorum fratrum, vel sororum αμφιπλῶ, liberi cum  
cum patruo vel avunculo, vel utrum soli. Concurrentes  
succedant in Capita vel stirpes.

Rixam banc ubiq̄ locorum graviter agitaram, si hac detractione componamus, non inconsultum fore existimamus: 1. Patruo extante fratre filij, iure representationis non ampliorem accipiunt portionē quam si virius patens fuisset accepturus, arg. §. 6. verb. equum enim. & ibi. quia. Inst. d. hered. q̄ ab intest. def. Nov. 118. c. 3. vers. si a defunct. Gotboſt. ibid. Autben. Cessante. C. d. legit. hered. alias hoc novissimo representationis p̄ivilegio defuerit de patrui successione prorsus desperarent. §. 5. Inst. d. legit. agn. succes. l. 3. C. d. legit. hered. l. 14. ibi sancimus. C. eod. item §. 1. verb. Nisi frater & soror superest non sunt. d. l. 13. C. d. legit. hered.

a. Soli

2. Soli enim liberi, patruelis seu consobrini, nullò extante patrō, concurre  
rentes, in capita succedere dicuntur, quia non representationis titulo sed pro-  
prio jure suffulti succedunt, & sic cum non sit correctum novā constit. 113. ju-  
riū antiqui dispositionem sequimur l. 32. §. ult. C. de appellat. l. 2. §. 2.  
ff. d. suis & legit. her. ll. 14. §. 1. in f. C. d. legit. hered. §. 4. in fin. Instit. de leo-  
git. agnat. success. l. 1. §. fin. ff. si pars hered. pet. Mlp. in fragm. tit. 26. d. le-  
git. her. §. 3. Caius in Instit. lib. 2. tit. 8. §. 6. Quam sent. novā Carol. 5.  
Constit. in Comitīs Spirens. Anno 1529. approbatam refert. Mynsing. cent. 3.  
obser. 94. Horom. illustr. quest. 15. explodens Bart. opin. ad l. 2. §. 1. ff. d.  
suis & legit. VVesemb. Consil. 84. & in Parat. ff. d. grad. num. 16. & in §.  
cum filium num. 6. Inst. d. success. ab. intest. Dn. Them. Lind. in Exercit. Insti-  
Disp. s. d. success. ab. intest. th. 37.3

XVI.

Futiosus nec ex pacto & Conventione,\* nec ex de-  
licto obligatur,\* si verò ut plenūq; assolet intervallis qui-  
busdam, sensu saniore, non forte eo momento scelus  
admiseric, nec morbo danda est venia, quod diligenter  
explorandus.

S. furiosus 8. Inst. d. in util. stipul. l. 5. ff. d. R. I. Quia sensu careat. l. 22.  
§. 7. ff. solut. maritim. C. voluntate deservientur l. 47. ff. de acquirend. vel a-  
mirend. hered. l. 40. ff. R. I. Dum bruis, inò morius equiparatur l. 5. §. 2.  
ff. ad l. aquil. l. 2. §. 5. ff. d. donat. Bald. in l. humanitatis 9. §. 2. coll. C. d.  
impub. C. al. subst. Atqui patrum utriusq; patriscentis consensum efflagitatur,  
l. i. §. 2. ff. de pact. Nec non animorum presentiam. ibid. §. 3. a qua furiosus  
procul absens l. 2. §. 2. ff. d. jur. Codicil. l. 124. ff. d. R. I. quia dormiens C.  
ignorans instar censeretur, l. 24. ff. d. oblig. C. Alt. l. i. §. 3. ff. d. acquir.  
vel amis. poss. hinc neque curatoris consensu patisci potest. arg. l. 5. ff.  
d. R. I.

Quod nec ex delicto obligetur, scilicet furiosus, ut & supra, qui per-  
petuo labore furor. l. 7. C. d. curia: furios. Qui neg. delinquer. l. 53. in pr.  
f. d. furios. Nec ex delicto sese obligare. l. 5. C. d. intrus. l. 4. S. 1. ff. eodem.

neq; propter admissum delictum plecti potest. l. 5. §. 2. ff. ad l. acqil. l. 12 ff.  
ad l. Cornel. d. siccari. l. 14. ff. d. off. præsid. l. 13. §. 1. cod. Qui verò inter-  
missum furorii vitium sustinet. §. 1. Inst. quib. non est permis. fac. test. l. 20.  
§. 4. ff. qui test. fac. pos. l. 9. C. cod. l. 14. ibi. si verò ff. d. off. præs. Quo-  
cunq; modo, illis intervallis contrahere. l. 2. C. d. Contrah. empe. Et iudicare.  
l. 39. & 46. l. 12. §. 2. ff. d. judic. item testari l. 9. verb. si verò. C. qui  
test. fac. §. 1. Inst. quibus non est permis. fac. Et. attestari rectè potest. l. 20.  
§. 4. ff. qui test. fac. l. Divus Marcus. 14. in verb. si verò. ff. d. off. præsid.  
quia reipub. interesse dicatur ne delicta maneant impunita. l. 51. §. 2. ff. ad  
l. acqil.

## XVII.

Qua ratione planè ebrium à pactionibus arcemus,  
qua aliquatenus furioso est simillimus.

Nam apud Chrysip. Parva dicitur Insania Ebrietas. Pythag. Insaniam  
meditationem dicit. Plutarch. furorū speciem appellat. Seneca & Origen.  
Voluntariam insaniam omnium virtorum originem existimant, quā qui se-  
pulev. mentis inducit exilium. Caus. 15. can. 8. q. 2. c. à crapula. 14. Excess.  
d. vita & honest. cler. & sic amens Conventiones devitare debet, qua men-  
tem presentem postulant. l. 1. ff. d. pact. Helfr. Hun. d. pact. c. 3. q. 11.  
Treutlerum tamen in disp. d. pact. thes. 5. lit. a. & Andr. Gail. 2. observ. 110.  
numer. 23. & obs. 148. Inter Ebrium & Ebriosum distinguendo sequamur.  
Qui hujus vitium non excusant, sed si quod grande nefas commiserint, illudq;  
morte piandum avriter statuano. item Brionborst. Cent. 4. ass. 83. Cum  
in Ebrioso dolus presumatur, qui rei illicitabens & liberus inservire soleat  
l. 203. ff. d. R. l. Ecceirco sui ipsius vitij panam pendere non iniquum fore;  
l. 15. ff. si quis omiss. causs. test. Cum duplii pena illum affici debere Pittacus  
existimasset, quod delictum delicto cumularet. Arist. in Polit. Quem etiam  
sacra defestatur Pagina ad Ephes. 5. v. 18. ad Galat. 5. vers. 19. ut idem de-  
monstrat Augustin. lib. d. penit. Ebriosus confundit naturam, amittit gra-  
tiam, perdit gloriam & incurrit damnationem eternam. Hinc non imme-  
rit Carol. V. Imp. statuit, ne ebrietati praetextu homicidia maneant impu-  
nita. Qui vero faciat vini effusio atque arreptus, casu, clam & ignorante  
ut sepe

at sepe fit, ad mentem wqz alienationem inebriatus pœnam ordinariam non sustinet. l. 6. §. 8. verb. per vinum. ff. d. re milit. sed si sobrius resipiscet, mitigari ex æquitatu norma patiarat. l. 48. ff. d. R. l. Caus. ii. q. 3. c. 69. nam quoties in delicto minor est dolus, ratio pœna quoqz minor esse debet. VVesemb. in Parat. ff. ad l. Cornel. d. sicut numer. 26. qui ex hac causa pœnam leniri meminit, ob commun. Dd. decij. Gail. 2. Obs. 110. n. 24. & seq.

## XIX.

Parentum Consensus ad nuptias liberorum stabiliendas omni jure requiritur.

1. Jure divino, quia 4. de calogi præceptum, utrumqz honorare parentem liberis præcipit. Deuteron. 5. v. 16. & c. 7. v. 3. Num. 30. v. 6. Proverb. i. v. 8. & c. 6. v. 20. Genes. 24. & 28. v. 2. Exod. 21. v. 9. c. 22. v. 16. Ierem. 29. v. 6. x. ad Corinth. 7. v. 36. ad Ephes. 6. v. 1. ad Coloss. 3. v. 20. Iudic. 14. v. 3. & 10. c. 21. v. 7. Tobie. 6. v. 13. Henning Arnise. in comm. d. jur. connub. c. 3. n. 10. Dn. Ernest. Corbm. Respons. 1. n. 3. & seqq.

2. Jure humano: ut in pr. Inst. d. nupt. v. nam hoc fieri naturalis ratio suaderet, & Iustiniano dicitur antiqua consuetudo, l. un. in f. §. 1. C. d. rapt. l. 2. d. 1. & Iur. l. 1. & 2. ff. d. obseq. parent. præst. l. 3. C. d. in iuri vorand. Gellius lib. 2. c. 7. Et imprimis gentes hanc parentum observantiam sancte confirmarunt, ut patet Hermioniæ pueræ responsum ad Orestem: Sponsaliorum curam parens meus ipsem et sustinebit, dijudicare enim hoc meum non est. Apud Euripid. in Andromacha Pol. l. 6. t. 4. qui citatur ab Ambros. in Can. Honorantur. 13. caus. 32. q. 2. Ut & Cyrus Xenophont. lib. 8. Cyroped. Cyaxari filiam cum consensu parentum in matrimonium collocari cupit. Idem apud Plaut. in Aulular. act. 1. scen. 4. & Homer. lib. 2. Iliad. d. Achille. Nec non Pamphilus ob neglectum patrii consensum acriter verbi depexus. apud Tereut. in Andria. act. 5. sc. 3. binc Sichem Hemorii filiu & laudatur Genes. c. 34. v. 4. & vituperatur. v. 2.

3. Jure verò Canonico parentis consensum requiri æquè necessitas, ac honestas statuit, utcunqz Glossatores & Papiculae communī dissentiant voto, qui ap. Ioan. Harprecb: in comm. Inst. d. nuptijs. in pr. n. 55.

quiibus

quibus Pontifex Evaristus ipse metuonit contradicit. c. aliter. i. caus. 30. q. 5. Cuius  
decretum tantò firmius, quanto antiquius, editum estis Chemnius 2. pars. Exam.  
Decret. Concil. Trident. tit. d. Clandest. marr. fol. 269. circa annum Christi  
100. Cui congruunt P P. Leo. in Car. non omnis 12. caus. 32. q. 2. & c. nostra-  
ces. 3. caus. 30. q. 5. ubi Nicolaus Papa satius superq; ostendit, federa matrimonio-  
nalia parentum consensu corroborari, quod arctius confirmat Ambrosius. d.  
caus. 32. q. 2. in c. honorantur. Hisce all. cc. recentiores quoq; Canones sat confor-  
mes Correspondent, ut c. i. X d. despontat. impud. c. 5. in f. X. qui marr.  
accus. poss. Nec alicuius ponderis Bellarmini iudicium censemus, quo tom. 3. con-  
trov. general. 5. lib. i. d. matri. sacram. c. 20. contra dd. decreta subtiliori  
cerebelli sui acumine, nec non Concilij Tridentini Autoritate (sessio. 24.) ma-  
trimonia invitis parentibus contracta sarta & tecta esse fatiditer affirmatur,  
sed nec ipsius nec Synodi Trid. censura tantam meretur efficaciam, ut contra  
decretum celeste pos sit operari. Esaiæ. 8. vers. 20. Acto r. 15. vers. 15. & 28.  
& Dd. Theol. Luther. in lib. d. Conjug. Melanct. in loc. com. tit. d. Conjug.  
Heerbrand. in comp. theol. loc. d. Conjug. Hemming. in lib. d. conjug. c. d. caus.  
repud. v. si consensus nō fuit justus & seqq. Chemn. loc. d. conjug. Et Icti affirmant  
Ev. Bronchorst. cent. 3. evav. assert. i. Henning. Arnise. in tract. polit. d.  
jur. connub. c. 3. sect. 10. num. 13. Philip. Hen. Haenonius in quest. jur. illustr.  
Disp. 2. thes. 6. part. 4. Dn. Vulpij. Brederod. Heig. VVolfius. & Borcholt. in  
princ. Inst. d. nupt. Dn. pr. Thom. Lindeman. in Exercit. Inst. Iustin. Disp. 1.  
ad tie. d. nupt. th. 3. Adrian. Fulvius. tract. d. nupt. sin. parent. Consens. nov  
Contrab. lib. i. n. 43.

Et tandem etiam Jure Civili, in proœm. Inst. d. nupt. l. 2. 9. 18. &  
35. ff. d. ritu nupt. l. 12. item l. 1. 7. & 20. C. d. nupt. l. un. §. oport. C. d.  
rap. virg. l. fin. in verb. sed sicut. C. d. repud. l. 4. C. eod. Novell. 22. c. 19. in  
med. Ne igitur invito patri heres obtrudatur. §. sed si. 7. Inst. d. adopt. & pa-  
triae potestatis nexus solvatur. Inst. d. patria potest. Nam quod quilibet filium  
sibi à suū fieri nolit, id nec patri suo faciat. Matth. 7. v. 12. l. 1. ff. quod quiq;  
juris in alt. stat. Cum Patentes liberis suis semper tam Consilio quam auxilio  
præesse præsumantur. l. 22. §. 4. ff. ad l. jul. d. adult. ideo reverenter à liberis  
babendi, ut omnia ab ipsorum voluntate promanare velint. l. 28. C. d. inoff.  
test. l. 2. ff. d. just. & Iur. l. 6. ff. d. in jus vocand. Huic assertioni adstipulari,  
nemo, nisi juris Iustinianei ignarus, deditur.

## Causas

Causas distrahendi matrimonium quoad vinculum, præter mortem naturalem, (Paul. i. Cor. 7. vers. 39. & Rom. 7. vers. 2. Novell. 22. c. deinceps. 20.) & adulterium, (Matth. c. 5. v. 32. & c. 19 v. 9. Rom. 7. vers. 3.) Plures esse non illegitimas, nemo, nisi æquitati manifestæ contrariari velit, inficiabitur, ut sunt:

1. Desertio malitiosa, i. Cor. 7. vers. 15. Novell. 22. c. 14. Etsi de connubio dispari Apostolum loqui possit obijci, nihilominus tamen desertor malitiosus, quisquis sit, infidelis instar, qui non tam verbis quam factis fidem frangit, depraedicatur, ad Tit. i. vers. 16. i. ad Timoth. 5. vers. 8. Phil. Melanch. in tract. d. Conjug. Borch. d. gradib. c. qnomod solut. matr. sol. 127. Dn. Paulus Tarnou. Pr. bon. in tract. de Conjug. lib. 3. c. 39. q. 27. aded ut parti desertæ, citationibus frustra factus, & expectandi spatum & nubendi potestatem iudex concedere posset. Schneid. d. nupt. part. 4. num. 46. Gadd. d. V. S. in l. 101. §. 1. num. 1.

2. Virginis defloratio; cum scilicet maritus ignorans à Coniuge sua ante nuptias, ab alio impregnata non saltēm diventere verum- etiam aliam in matrimonium ducere possit. Deut. 22. vers. 20. Matth. i. v. 19. l. exemplo. vers. si quis virg. ff. d. actio. empt. Novell. Leon. 93. Schneid. part. 4. d. nupt. num. 61. Licet virgo in persona non differat à muliere, essentiali tamen virginitatis qualitate quoad consensum conjugalem maximè differt, quia si nosset viriatam sponsus, non duxisset. Henn. Arnise. d. jur. connub. c. 2. sect. 3. num. 10. cum stuprata non saltēm dicatur infamia, sed simul eam ducens. ibid. num. n. Conjugium u. omni careat labe, inquit Apoll. ad Hebræ. c. 13. vers. 4. Hinc fatuum dicit Chrysostomus in cap. 9. Matth. Qui retinet meretrice, & juxta Vulg. Ductorem impregnata (puta illicite) esse proditorem patriæ, arquit Germania. Schneid. d. nupt. part. 3. num. 61. Consult. Saxon. lib. 1. p. 1. in qq. matr. q. 8. part. 2. Coler. decis. 4. Germ. Kornman. de Virg. c. 25. Melanch. in loc. d. Conjug. Lutherus. in lib. von Ethesachen.

3. Impotentia generandi naturalis & accidentalis perpetua, ita tamen, ut si illa ante initum Conjugium contigerit ignorantis, c. 1. in fin.

Extr.

*Extr. d. frigid. & malefi. D. Philip. in loc. d. Conjug. in quest. d. nat. spad.  
vid. caus. 33. q. 1. Hostiens. in sum. d. frigid. & malef. Henning. Arnise. c. 6.  
d. steril. & impot. n. 26.*

*Licet assertioni huic diametraliter opponatur dictum Matth. 19. vers. 6.  
Quos Deus conjunxit, &c. Isidor. ramen solutionem tuitionis gratia amplecti-  
mur, ut: Quos Deus conjunxit, homo non separat: quare si quomodo & Sub-  
audi violenter, sine lege absq; ratione non separat, non enim homo separat,  
Quos pena condemnat, quos reatus accusat, quos maleficium coarctat, caus. 33.  
q. 2. c. quos Dem. 18.*

## COROLLARIA.

I.

*An varium ac mutabile fæmina? cum sit questio admodum insidiosa, nec non odiosa, cautè velitationi commendamus.*

II.

*Fæmellæ, licet quadam tenus sint mutabiles. homines nihilominus propriè dicuntur, nec magni ponderis æstimanda quo-  
rundam lententia circa. I. si quis. 38. §. qui abortionis ff. d.  
penis.*

III.

*Repressaliæ an sint licite? Neg.*

IV.

*Ob dotem non solutam num mulier expelli possit? Neg.*

V.

*Monomachia an sit licita? Neg.*

E T

ET VIRTUTUM ET LITERARUM  
nobilitate Praestantissimo,

DN. RESPONDENTI.

Tu quæ nigranti circumdans lumina peplo  
Libratam justo monstras examine Lancem;  
Ante pedes cuius sceptrumq; & acuta bipennis,  
Dissimilis non æqua jacent insignia famæ,  
Diva Themis, tua nunc intrat delubra, Sacerdos,  
Astrææ quondam sacrâ sistendus in æde:  
Tu modò, qui dexter sequitur vestigia, honori  
Trade virum: meritâq; olim cum laude canendum.  
Efficio niveis hunc Gloria subvehat alis.  
*Benevolentiae causa lubens f.*

JOAN. LAUREMBERGIVS,  
Phil. & Med. D. Poef. Prof. Acad.  
Rost. p. s. Rector.

Eidem Dn. Respond.

Dum dubios juris FRIDERICE resolvere nodos  
Et doctas tentas audire & reddere voces,  
Præmia Doctorum nequit tibi Musa corollam.  
Tu ceu capisti modò pergit, tempora lauru  
Docta Themis cinget, summum & concedet honorem.

Congrat. f.

JOHANNES QUISTORPIUS  
Th. D. Professor & Eccle-  
siastes.

EPI-

MURKETTIA PRIO PA  
EPIGRAMMA.  
AD PRÆSTANTISSIMUM

Dn. Respondentem.

A urea pera, caput chalybatum, & plumbens anus,  
Arma sacra Themidis sunt tria, vulgus ait:  
Et benè. Tyro libros parat are: & acumine mentis  
Hos rimatur: ad hos plumbens neq; sedet.  
Quisquis & instructus mediocriter hisce, Themisti  
Militat & hic titulos querit, opesq; sibi.  
Quisquis at hisce carens, sinuosa volumina Juris  
Tractat: nec titulos, nec sibi querit opes.  
His tribus armatus gaudes FRIDERICE, diurnus  
Evalvens Gemini corpora bina fori.  
Hinc Themidis sacra quondam potière Corollâ,  
Et Genij fatus, Ingenijq; feres.

JOHANNES POSSELIUS  
Græcæ linguae Rostochianâ in  
Academiâ P.P.E.



EHL





ET VIRTUTUM  
nobilitate P

DN. RESP.

Tu quæ nigranti circum  
Libratam justo monst  
Ante pedes cuius sceptrum  
Dissimilis non æqua jacent  
Diva Themis, tua nunc int  
Astræ quondam sacrâ sis  
Tu modò, qui dexter sequ  
Trade virum: meritâq; oli  
Efficio niveis hunc Gloria

Benevolentia

J

Eidem I  
Dum dubios juris F R D  
Et doctas tentas audire  
Premia Doctorum necit ti  
Tu ceu capisti modò pergit  
Docta Themis cinget, sum

J

TERARUM

no,

ENTI,

peplo  
Lancem;  
ipennis,  
æ,  
Sacerdos,  
e:  
, honori  
canendum  
is.  
f.

REMBERGIVS,

Med. D. Poef. Prof. Acad.  
Rost. p. s. Rector.

vere nodos

voces,

illam.

uru


edet honorem.

Congrat. f.

QUISTORPIUS

Professor & Eccle-  
siastes.

EPI-



the scale towards document